



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.2. Discursus facti vis in pauca colligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

*Discursus facti vis in pauca colligitur.*

**H**uc igitur tandem tota recidit, spiritualis hujus insitio-  
nis adoptionisve ratio, ut de veteris hominis caudice,  
refecti, & obliti veterem indolem, in Christo maneamus,  
& ipse in nobis: verum nos in illo, ut illi insiti & concor-  
porati per gratiam; ipse autem in nobis, ut vitam, spiritum,  
succumq; suum in nos transmittens; ipsos inquam sensus  
affectusve sibi proprios, virtutes suas, proprietates, mores  
nobiscum communicans. *Ita enim se immiscet nobis* (inquit,  
ni fallor, S. Paulinus) *ac nos sibi conserit, ut quod ipse accepit,*  
*nobis proficere faciat.* Quo denique fiat, ut omne germe,  
flos, fructus noster, omnis inquam nostra cogitatio, omnis  
intentio, & actus omnis, ipso Christi crucifixi sanguine, ceu  
vitali rore in se transfuso, vegetentur & vigeant, neque tan-  
tum sint nostra quam Christi: secundum quod ait S. Hierony-  
mus: *Beatus*, exclamans, *multumq; felix, qui vivente in se*  
*Christo, per singulas cogitationes & opera potest dicere: In se*  
*de vivo Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro*  
*me.* Quo nimirum sese pervenisse censebat felix crucifixi  
discipulus Paulus Apostolus, cum in se Christum vivere diceret.  
Ut enim disputat ad ea verba Chrysostomus: *Quoniam se*  
*metipsum Christo Domino & Cruci praeferat, cunctaq; respici-*  
*unt temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non di-*  
*xit: Vivo Christo, sed quod longe majus erit: Vivit in me*  
*Christus.*

Ad extremum ex ipsis fructibus, seu operibus nostris  
cognoscemus, cui plantae insiti, cui radici obnoxij, quo in-  
terno rore vegetemur: hoc est, utrum de mundi carne  
spiritu, an de succo Crucifixi, & tanquam medulla vivamus.  
Quippe (ut pronunciat dilectus Christi discipulus) *qui dicit*  
*se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulat.*  
Quod

*In ep. Gal.*  
*§. 2.*

*1. Joann. 2.*

Quod in rem presentem interpretans B. Prosper: *Quid est, ait, ambulare, sicut ille ambulavit: nisi contemnere omnia. l. 2. de vir. prospem, qua contempfit, non timere adversa qua pertulit? contr. c. 20.*

### CAPVT VIII.

De tribus individuis Christi Domini comitibus; Paupertate, Doloré, Contemptu.

#### §. I.

Comitatum hunc, seu societatem, Christo Domino perpesim adhaesisse.

Occasionem huic considerationi atque argumentum præbuit, quod in vita R. P. Balthazaris Alvarez legitur, viri ex Ordine nostro sanctissimi; qui S. Matri Teresæ *Vit. P. Baltz c. 12.* fuit à sacris Confessionibus, & cujus hæc ope atque operâ multum se in animi sui rebus adjutam libens fatebatur.

Is igitur uti assidue Christum crucifixum habebat præ oculis, & vitæ ipsius ac mortis mysteria intento studio contemplabatur: ita præcipuo ac singulari animi sensu meditari solebat, tres (ut appellabat) individuos Christi comites, ut qui illi ab ipso Præsepi ad extremum usque spiritum continenter adhæserint; Paupertatem scilicet, Doloré & Contemptum. Eoq; referebat illud Prophetæ in Christi persona dicentis: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.* Quibus verbis dicebat proponi viam, quam Salvator noster in omni vita tenuit; paupertatis nimirum, doloris, atque contemptus: Quos ille comites adeò familiares & intimos habuerit, ut unâ cum illo de utero egressi, cum ipso pariter pe-

0002

atatis